



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 123. Anathematis comminatio adversus Regem Cardinalium rogatu
omissa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

fitque, ut **Consalvus**, quem tamdiu a publicis muneribus excluderat, in Italiam rediret, regii exercitus imperium denuo suscepturus. Hanc rerum vicissitudinem Papa non modo a Cardinale, sed ab ipsomet Rege **Ferdinando** edocebatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

§. CXXII.

Julius re comperta sancitæ pacis pacta honesto obtentu eludens.

Tam fausto nuncio Julii desideria expleta videbantur, unde minori moderatione jam in prosperis quam antea in adversis rebus usus nil intentatum reliquit, ut causam obtendere posset, ob quam a foedere inito, Regique Galliarum *Maria. l. 30.* transmissio recedere posset.

§. CXXIII.

Anathematis comminatio adversus Regem Cardinalium rogatu omissa.

Jamjam Pontifex in eo erat, ut Galliarum Regi literas mitteret, quibus, an- *Guicc. l. 10. in fine.* tequam anathema promulgaret, eundem admonebat, ut Cardinalem Medicæum in Ravennatensi prælio captum libertati restitueret, si vero Rex parere renueret, in illum censurarum severitate animadvertere declaravit. Id vero cum absque Cardinalium sententia exequi nollet, convocato Patrum Senatu, eisdem literas a se scriptas prælegit. Hi vero, cum

Sæcul. XVI
A.C. 1512.

animum tranquillitate magis placatum fo-
verent, nec non majori, ac ipse Pontifex
perspicacia omnino futura mala, quæ ex
nimio rigore oriri possent, prospicerent,
Julio exponebant, quod consultius esset
si Ludovicum Regem, ut Cardinalem eo-
rum Confratrem liberum dimitteret, pre-
cibus urgeret, ipsamque anathematis
comminationem interim differret, donec
cuncta Regem flectendi media incassum
exhausta essent. Cessit Pontifex Cardi-
nalianum consilio.

§. CXXIV.

*Rex copias ex Italia Anglorum bello
revocare compulsus.*

Cum igitur Ludovicus pacem a Papa
impetrare desperaret, bellum parare
compellitur, adeo tamen sinistro successu,
ut ipse Mediolanensi Ducatu penitus
exueretur, & Galli e tota Italia pelle-
rentur: quippe Anglorum exercitus, cu-
jus adventum minime suspicabatur, jam-
jam in limine regni sui constitit, ad om-
nem horam in Gallos irruere paratus.
Quocirca Ludovicus ducentos regii satel-
litii Nobiles, ac bis mille quingentos se-
lectioris militiæ pedites ex Italia revoca-
re cogitur. Præterea Jacobus Sily supre-
mus in Normannia ærarii Præfectus, Sta-
tusque Mediolanensis Procurator, cum
Regi suo obsequium præstare crederet,
si

*Perron in
Lud. XII.*